



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Gregorius Armenius Episc. 30. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

30. Sept. VITÆ SANCTORUM. 613
niis multisque lacrymis mollire, investa
interim cogitationum agmina assiduis
saxorum ictibus è pectore propulsare;
tam dulci victoriæ fructu, ut quandoque
sublatum in cælum se putaret, qui mer-
sum modò imis se inferis credebat. Inte-
rim etiam dum vixit, Doctorem suum
in *Hieronymo* orbis Christianus coluit,
hostem verò hæresis extimuit. Ipse vitam
denique ibi clausit, ubi ordiri Deus in-
fans voluit, magnus heros, ut cui in tu-
mulum Christi cunæ cesserunt. *Ex vitâ*
& ejusd. ep.

Ecce de cælo tubæ canit; ecce cum nubibus
debellaturus orbem Imperator armatus e-
greditur; ecce bis acutus gladius ex Regis
ore procedens obvia quæque metit; & tu mi-
hi de cubiculo ad aciem, tu de umbrâ pro-
grederis ad selem? S. Hier. Ep. I.

S. GREGORIUS ARMENIUS
EPISC. 30. Septembris.

GREGORIO huic nostro patria cog-
nomen Armeno fecit. A Tiridate re-
ge suppliciiis, quantis vix ullus alius Mar-
tyr, exercitus duravit tamen, inter mil-
le mortes nunquam mortuus. Darem
Catalogum cruciatuum, sed non capit
hos scheda hæc: totum illi librum vitæ
implent. Tibi hoc sufficiat, Lector:
non ferenda tulit, non dicenda nobis
fecit. Itaque victor in omnibus pugnis,
de-

Q9 3

614 VITÆ SANCTORUM. 30. Septem-
demum in cisternâ altitudine suâ & foc-
tore horridâ ipsos annos x. & xv. trium-
phavit, cum annonam diurnam panem
unum matrona vidua subministraret. In-
ter hæc Agni auspiciis in Armeniam ad-
venit totum virginum agmen. Ducebat
Gainna antistita: formâ verò inter om-
nes eminebat Ripsimis, cujus cum ci-
sternam oppugnatam iret Diocletianus,
fugit scilicet illa, vincere docta Partho-
rum more. Sed Tiridates rex non mi-
nus Diocletiano in virgine dictâ petiit.
Offendit tamen in Amazones: vitam
eripere potuit omnibus, Christum spoli-
atum ne uni quidem, quamvis nec illud
impunè. Audi enim quisquis cum Uly-
se Circeam non fugis Venerem. Tir-
dates, Deo sic volente, cum animum
humanum jam nuper exuisset, nunc
corpore etiam in porcum abiit, muta-
doque non fictum Elpenora spectandum
dedit. Sed neque setas prius posuit,
quàm excisternâ extractus Gregorius
cruces templaque Christo, & quod ce-
put est, populum sacrasset. Tum enim
& rex lodes posuit, & sacro lavacro
lotus cum hominis schemate mores et-
iam humanos recepit. Mirabantur tunc
hominem in porcum migrasse. Magis
ego miror familiare hoc nobis miracu-
lum & quotidianum admirationi non et-
se. Ex Surio.

*Non potest in iis, qui fluido astu cor-
rupti*

luptatum huc atque illuc feruntur incerti, nullius spiritus esse vitale commercium. Homo igitur ipse sibi auctor est arumna nam nisi quis porci more vixisset, numquam in eum accepisset, diabolus potestatem. S. Ambros. l. 6. in S. Luc. cap. 8.

S. NICETIUS EPISC. 1. Octobris.

NICETIUM prius calum ad Sacerdotium, quam Pont. destinavit, quando natus iam tunc Sacerdotale capitis decus coronam gestare visus est. Hanc amplius deinde infula Trevirensis exornavit, quam ubi illi Theodoricus rex decrevit, nescio quid grave cervici suæ tertium incumbere sensit. credo ut cum illo scirent omnes Pontifices, infulam non tam ornamentum capitis quam onus esse. Sed onus hoc pares humeros in Nicetio invenit, & contra reges etiam fortes. Et evenit, ut cum aulae asseclas à sacris prohibitos templo Theodobertus rex nollet excedere; homo à dæmone infessus uti virtutum NICETII, ita scelerum regis longum catalogum palam recitaret, ut jam rex non illos modò, sed omnes omnino exesse templo percuperet. Cesserunt igitur illi ex æde sacrâ, mox dæmon ex homine etiam. Sed & in ipsos reges non semel fulmen sacrum vibravit, neque exilio, neque adeò morte intentâ absterritus.

¶ 4

At